

2155

C O D I C E S

2156

cem: *Finis 33. conclusionum Evangelici doctoris M. Jo. Wi. 1433. in festo pauli.* E variis *Wiclefi* libris *Conclusiones* haec lectae videntur, et fortassis a *Petro Paynio*.

XI. fol. 262. p. 2. *Incipit Speculum Dominorum.* Initium: *Cum veritas fidei eo plus rutilat, quo plus plane cognoscitur &c.* Ad calcem: *Explicit speculum secularium dominorum secundum evangelicum doctorem finitum 2^a feria, Et eodem dominico die anno 1433. Iopatham (Arcem Prov. Prachinensis alias Hus dictam Taboritae, ut putem) invaserunt. Adi Tanneri Bibl. Brit. Hibern. ubi fecundissimi calami Wiclefiani partus enumerantur, et Indicem nostrum.*

XII. fol. 270. *Adversaria duplicia de Methodo Praedicandi verbum Dei, quorum priora abrupta incipiunt: Ut simplices sacerdotes Zelo animarum succensi habeant materiam predicandi &c.* Altera vero prolixiora: *Ad inveniendum diuersas vias predicandi Nota breuiter tria tempora &c.*

XIII. fol. 302. *In translacione ludmille.* Fragmentum Sermone vel Lectionis, quod incipit: *Santa ludmilla. matrona bohemorum. secundum cantum ecclesie. turtur &c.*

DLXVI.

833 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 147. 8. priore sui parte eleganter exaratus, rubricis distinctus, et olim *Fratrum*

Cruciferorum in Dusseldorp, haec complectitur: I. praeunte Capp. XVIII. elencho *Incipiunt aliqua verba aurea sancti Egidij. De gratia Capittulum primum.* Ejus initium: *Gracia dei et virtutes sunt scala et via ascendendi in celum &c.* Per decursum narrantur plura F. *Aegidii Senfa* et *Αποφθέρματα*; ita C. 15. *Videbatur fratri egidio quod male fecerunt Prelati ordinis minorum eo quod non procurassent pro viribus cum domino papa non obtentu vane glorie. sed contemplacione honoris diuini duntaxat et edificatione proximorum canonizationem fratrum minorum martirum qui propter gloriosam confessionem fidei fuerunt apud marabotum (Marochium) interfecti &c.* Unde liquet haec non ab ipso *Aegidio Assisiense* tertio B. *Francisci* discipulo, Viro pio et simplici, sed ab alio excepta referri. Quare miror *Waddingum* in *Bibl. O. M.* p. 5. de *Aegidio* scribente, ejusque *Opusculis* loqui, cum tamen nil nisi Titulos Collectionis praesentis recitet. Obiit *Aegidius* a. 1262. Vide *Acta SS.* ad 23. *April. T. III.* p. 218. *Aurea Verba* nostra excusa sunt *Antverp. 1534. 8.*

II. fol. 33. p. 2. *Incipiunt X omelie eusebij episcopi.* Ad calcem additur: *emisseni ad religiosos valde edificative.* Initium primae: *Exhortatur nos sermo diuinus vt curramus &c.* Finis ultimae: *premierum gaudia sine fine durarent.* De his *Homiliis* dictum ad *Cod. CCII.*

III.

2157

A S C E T I C I.

2158

III. fol. 81. *Incipit epistola luciferi principis demoniorum ad potentes et prelatos. ad plebanos et curatos. ad episcopos et ad monachos mendicantes et ad taxillorum lusores.* Initium: *Lucifer princeps tenebrarum tristitie (tristia) profunditatis (profundi) regens acberuntis imperia &c.* Jam taedet crambes toties recoctae. Deinceps currente calamo:

IV. fol. 103. *Prefacio super septem psalmos penitenciales Composita a Domino petro Episcopo Cameracensi.* Et explicatius ad calcem: *Explicit liber de septem gradibus Scale continens meditationes deuotas super septem psalmos penitenciales Composita a domino Petro de aillyaco Cameracen. Episcopo.* Initium: *Vera penitencia velut scala quedam est &c.* ut Codd. XC. et aliis.

V. fol. 137. *Oracio Dominica anagogice exposita a domino petro Episcopo Cameracensi.* Procedit ad hunc modum: *Pater noster qui es in celis. O pater qui spirituales filios generas per viuificantem caritatiui amoris propagationem &c.*

VI. fol. 140. *Incipit deuota meditatio super psalmo In te domine speraui.* A domino P. Episcopo Cameracen. Initium: *Terret me domine deus meus, terret me vita mea &c.* Et praefens et antecedens pium Exercitium inter Cardinalis nostri *Tra&tatus et Sermones Argentinae 1490. f.* editos legitur.

DLXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. 630 XV. Folior. nunc 92. 4. commode perscriptus, rubricisque enotatus, olim ad *Wenc. Rossum Sacerd. Bobemum*, ut a. 1531. propria manu ad p. 55. notavit, *Zdenkonis filium* pertinens exhibet: I. *Caesarii Heisterbac.* Monachi ex Ordine *Cist.* qui annum 1227. vivendo adtigit, *Dialogos de Miraculis suae aetatis* initio mutilos, ita, ut Narratio nostra prima constituat in *Bibliotheca Cist. Bertr. Tisserii T. II. Dist. II. Caput undecimum*, totumque Exemplum fit potius Excerptum *Caesariani Operis*, quam Opus ipsum. Praeterea nobis in *Dialogum majorem et minorem* distinguitur, quam distinctionem *Tisserius* non agnoscit. *Dialogus minor* incipit fol. 38. p. 2. hoc tenore: *Deus continet omnia in quo viuimus movemur et sumus &c.* Sed operae pretium non est piis his Fabulis immorari, ad quarum calcem sitibundus Librarius adjecit: *Explicit hoc totum possly za potum*, quasi dicas: *Mitte pro potu.*

II. fol. 50. sequitur *Lumen Anime.* Inscriptio miniata: *Mundi substantia eleuat cor hominis, et vergit in mortem eternam.* Initium: *Philozophus sexto animalium.* *In tumidis quidem mortuis pectus altius solito eleuatur.* &c. Excerpta haec sunt e vasta Compilatione *Libri Moralitatum* seu *Luminis Animae* typis *Augustanis*

O o o 3

nis